



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De communicatione Idiomatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

min. Et dico humanitatem trahi ad esse personale Verbi, eo ipso quod fit verè ac propriè Verbi natura: at eo ipso verè ac propriè fit Verbi natura, quod producit ab eo ut formali sustentativo: sicut accidens verè ac propriè fit subjecti accidens, hoc ipso, quod dependenter à subjecto ut formali sustentativo, producit.

Præterea, quidquid sit de hac Scoti sententia, secundum quam hic respondemus, humanitas ad esse personale Verbi trahi non potest, nisi per physicam sui cum illo unionem, adeoque nisi propria existentia existat: omnis enim physica unio nec est, nec potest esse, nisi inter extrema physica, ac physicè distincta, & quorum proinde utrumque suam habeat existentiam, ab alterius existentia distinctam.

At inquit, Si humanitas Christi existit existentia propria, actio generativa Virginis terminatur ad eam, non ad Verbum. Resp. Actionem generativam Virginis terminari ad humanitatem, & existentiam ejus propriam, ut ad terminum immediatum, & proximum; ad Verbum verò, ut ad terminum mediatum & ultimum.



DISPUTATIO V.

De communicatione Idiomatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum detur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum.

Nota 1. Nomen aliud est abstractum, aliud concretum. Abstractum est illud, quod tantum significat formam, vel quasi formam, ut albedo, divinitas, humanitas, &c. Concretum verò, quod significat non solum formam, vel quasi formam, sed etiam id, quod formam, vel quasi formam habet, ut album, Deus, homo. Porro nomen abstractum significat formam, vel quasi formam secundum se: sic v. gr. cum dicitur: Divinitas est incarnata, sensus propositionis est, propriè ac strictè loquendo: Divinitas secundum se est incarnata: unde hæc propositio in rigore vera non est.

Nomen concretum non eodem modo formam, & id quod habet formam, significat; nam significat formam expressè quidem, sed obliquè; confusè verò, sed directè; seu in recto id, quod formam habet, & pro eo supponit in propositione; nisi tamen, quod aliquando accidit, ad formale & expressum significatum determinetur suppositio: sic v. gr. album significat expressè, sed in obliquo albedinem; confusè verò, sed in recto id, quod habet albedinem: album enim idem est, ac habens albedinem; & cum dico verbi gr. Paries est albus, to albus supponit pro eo, quod habet albedinem. Sensus enim propositionis est: Paries est habens albedinem. Dixi autem, nisi ad formale, &c. quia nomen concretum quandoque supponit pro forma, vel quasi forma, quam significat, ut cum dicitur: Homo est species, album est accidens.

Nota 2. Ad veritatem propositionis affirmativæ, cujus subjectum & prædicatum sunt termini concreti, satis est, quod rectum subjecti sit etiam rectum prædicati, atque adeo quod subjectum & prædicatum supponant pro eodem recto. Sic vera est hæc propositio, facta de lacte: Album est dulce, quia idem est rectum utriusque termini, & uterque terminus supponit pro eodem recto: & verò perinde est ac si diceretur: Habens albedinem, est habens dulcedinem, quod sanè verum est, cum idem, nempe lac, sit habens utramque formam.

Nota 3. Nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, habent pro recto suppositum aliquod: nam suppositi est habere naturam, & ejus attributa:

unde nomina concreta naturarum, & illarum attributorum, pro supposito aliquo supponunt in propositione, quoties suppositio terminorum non determinatur ad significatum formale & expressum. Hæc itaque nomina concreta, Deus, homo, mortalis, immortalis, &c. habent pro recto suppositum aliquod, & pro eo supponunt in propositione, quoties ad formale, & expressum significatum non determinatur suppositio, vel, si vis, quod idem est, quoties in propositione non ponitur terminus concretus pro abstracto. Hinc

Ad veritatem propositionis affirmativæ, constantis terminis, quæ sunt nomina concreta, satis est, quod subjectum & prædicatum significant idem suppositum, ac pro eo supponant; sive uterque terminus sit nomen naturæ, aut attributi naturæ, vel personæ, sive unus sit nomen naturæ, & alter attributi naturæ, aut unus sit nomen personæ, & alter naturæ, vel attributi naturæ, vel à fortiori attributi personæ: nam in illis omnibus casibus idem erit rectum subjecti & prædicati propositionis, quod ad ejus veritatem sufficit ex notabili. 2. In his itaque propositionibus: Deus est homo, mortalis est immortalis, genitus ab æterno est genitus in tempore, homo est immortalis, Verbum est homo, Verbum est mortale, Verbum est genitum in tempore; ad veritatem requiritur & sufficit, ut subjectum & prædicatum idem suppositum significant, & pro eo supponant.

Nota 4. Quando unum, & idem suppositum duas habet naturas. 1. De hoc supposito duæ illæ naturæ, & vicissim de duabus illis naturis hoc suppositum; 2. De hoc supposito proprietates naturarum illarum, & vicissim de naturis illis proprietates hujus suppositi; 3. Illæ naturæ de se invicem; 4. De una natura alterius naturæ proprietates, & vicissim de proprietatibus unius naturæ altera natura; 5. Proprietates naturarum illarum, & ipsius suppositi de se invicem verè prædicantur per nomina concreta. Ratio universalis est, quia in omnibus illis prædicationibus rectum subjecti & prædicati primum est suppositum aliquod ex notabili tertio. Secundo, est unum & idem suppositum; quia in hypothesi facta unum & idem suppositum habet duas naturas, atque ita, unum & idem est rectum subjecti & prædicati in omnibus illis prædicationibus; quod ad propositionis affirmativæ veritatem sufficit ex notabili secundo. Hinc

Nota 5. Cum in Christo sit unum & idem suppositum habens duas naturas, circa ipsum sextuplex prædicandi genus distingui potest. Primus est, quo duæ naturæ de supposito, & suppositum de duabus naturis; secundus, quo proprietates naturarum de supposito, & proprietates suppositi de naturis; tertius, quo natura divina de humana, & humana natura de divina; quartus, quo proprietates naturæ divinæ de natura humana, & proprietates naturæ humanæ de natura divina; quintus, quo proprietates naturæ divinæ de proprietatibus naturæ humanæ, & proprietates naturæ humanæ de proprietatibus naturæ divinæ; sextus denique, quo proprietates duarum naturarum de proprietatibus suppositi, & proprietates suppositi de proprietatibus duarum naturarum verè prædicantur in concreto. Ratio communis pro omnibus his prædicationibus est, quia in omnibus subjectum & prædicatum unum & idem rectum habent; cum significant in recto unum & idem suppositum, pro quo supponunt.

Nota 6. Hæc nomina concreta personalia, Verbum, Filius Dei, Christus, Jesus, unum & idem suppositum significant, nempe suppositum Verbi, & pro eo supponunt in propositione: cum hoc tamen discrimine, quod, ut observat S. Thomas hic qu. 16. art. 5. in O. Christus dat intelligere utramque naturam divinam & humanam, in quibus suppositum illud subsistit, Jesus solam humanam, cætera verò nomina solam divinam: Christus enim idem sonat, ac suppositum subsistens in natura divina & humana; Jesus idem, ac suppositum hoc subsistens in natura humana; Verbum, & Filius Dei idem ac suppositum

tum hoc subsistens in natura divina: Unde Christus in obliquo significat explicite utramque naturam divinam & humanam, Jesus solam naturam humanam, Verbum & Filius Dei solam naturam divinam, sicut & nomen hoc concretum naturæ Deus. Hinc

Hæ propositiones: Christus est homo, Jesus est homo, Verbum est homo, Filius Dei est homo, Deus est homo, licet sint æqualiter veræ, quia in illis omnibus subiectum, & prædicatum supponunt pro uno & eodem supposito, non sunt tamen eodem modo veræ: nam prima & secunda veræ sunt necessariò, necessitate scilicet consequente; necesse enim est, suppositum subsistens in natura divina & humana, esse hominem: at reliquæ sunt veræ contingenter tantum; contingens enim est, suppositum naturæ divinæ esse hominem.

Nota 7. Ex dictis hæcenus liquet verè dici: Verbum est Deus, Verbum est homo, Christus est Deus, Christus est homo, Jesus est Deus, Jesus est homo; & vicissim Deus est Verbum, homo est Verbum, &c. quamquam hæ prædicationes sint innaturales, quia prædicatur id, quod minùs aptum est prædicari, nempe suppositum de natura.

Item verè dici: Verbum est immortale, Verbum est mortale; Christus est immortalis, Christus est mortalis, Jesus est immortalis, Jesus est mortalis; & vicissim: Immortale est Verbum, mortale est Verbum, &c. Quæ prædicationes sunt innaturales, quia in illis prædicatur suppositum de proprietatibus naturarum. Cum autem suppositi sit habere, & naturarum cum suis proprietatibus haberi, naturæ cum suis proprietatibus aptius prædicantur de supposito, quam suppositum de illis.

Item verè dici: Immortalis est mortalis, omnipotens est infirmus, immensus est circumscriptus utero Virginis, &c. & vicissim: Mortalis est immortalis, infirmus est omnipotens, circumscriptus utero Virginis est immensus, quæ prædicationes tam naturales sunt, quàm aliæ; quia in illis tam prædicatur id quod aptum est prædicari, nempe proprietas naturæ de supposito.

Item verè dici: Genitus ab æterno ex Patre, natus est in tempore ex Virgine; & vicissim: Natus in tempore ex Virgine, genitus est ab æterno ex Patre. Item verè dici: Deus est ex Patre genitus; & vicissim: Genitus ex Patre Deus est, homo est Spirator; & vicissim: Spirator est homo, Ratio generalis est, quia in omnibus illis prædicationibus subiectum & prædicatum habent unum & idem rectum, nempe unum, & idem suppositum Verbi, pro quo supponunt; quod sufficit ad veritatem propositionis affirmativæ, quæ constat terminis concretis. His omnibus præsuppositis, sit

R E S P O N S I O.

Datur communicatio idiomatum in sensu Catholicorum.

Prob. 1. Communicatio idiomatum propriè ac strictè sumpta, secundum Catholicos, consistit in eo, quod proprietates naturæ divinæ de proprietatibus naturæ humanæ, & vicissim proprietates naturæ humanæ de proprietatibus naturæ divinæ; item in eo, quod proprietates utriusque naturæ de proprietatibus personalibus, & vicissim proprietates personales de proprietatibus utriusque naturæ, verè prædicantur in concreto. Atqui proprietates naturæ divinæ de proprietatibus, &c. item proprietates utriusque naturæ de proprietatibus personalibus, &c. in concreto verè prædicantur. Ergo, &c.

2. Communicatio idiomatum minùs strictè sumpta, secundum Catholicos, consistit in eo quod natura divina de humana, & vicissim natura humana de divina; item in eo, quod utraque natura de supposito, & vicissim suppositum de utraque natura verè prædicatur in concreto. Atqui in concreto verè prædicatur natura divina de humana, & natura humana, &c. Ergo, &c. Utraque minor patet ex notabili 8.

Porro hujus communicationis idiomatum, quam

Catholici omnes agnoscunt, fundamentum duplex est, unum scilicet reale, ac physicum, quod consistit in concursu duarum naturarum, divinæ & humanæ, in uno & eodem supposito Verbi; qui concursus fit per identitatem unius naturæ, nempe divinæ, & per hypostaticam unionem naturæ alterius, nempe humanæ cum supposito illo: alterum verò logicum & rationis, in eo situm, quod supposito illo naturarum duarum concursu in persona una & eadem, nomina concreta personæ, naturarum, & proprietatum personæ ac naturarum, idem rectum habeant, & pro eo supponant: cum enim nomina illa, ex notabili 3, habeant pro recto supposito aliquid, præsupposito concursu naturarum in uno & eodem supposito, habent pro recto unum & idem suppositum, atque ita habent idem rectum, pro quo supponunt.

Obj. Hæc prædicatio: Immortalis est mortalis, (idem dic de omnibus aliis,) involvit contradictionem. Ergo non est vera, adeoque non datur idiomatum communicatio, &c. *Resp.* Prædicationem hanc: Immortalis est mortalis (idem judicium esto de omnibus aliis, quæ ad idiomatum communicationem pertinent) contradictionem involvere, non veram ac realem, sed apparentem tantum. Sed ad plenioris hujus difficultatis solutionem.

Nota. Attributa, in quorum mutua prædicatione, in concreto facta, consistit idiomatum communicatio propriè sumpta, alia conveniunt Christo secundum naturam divinam, ut esse æternum, infinitum, immensum, omnipotentem, remittere peccata, miracula facere, creare mundum, &c. alia secundum naturam humanam, ut esse natum in tempore, finitum, loco circumscriptum, dormire, comedere, ambulare, &c. Alia denique ratione utriusque naturæ, ut esse redemptorem, mediatorem, mereri, & satisfacere; nam in actione merendi & satisfaciendi, duo sunt, scilicet ipsa substantia actionis, quæ est à Christo ut homine, & actionis valor infinitus, qui est à Christo ut Deo.

Christus igitur æternus est, in quantum Deus; natus est in tempore, in quantum homo; satisfecit pro nobis, in quantum Deus & homo. Hinc cum per communicationem idiomatum dicitur: Æternus natus est in tempore; natus in tempore æternus est; sensus est: Æternus secundum divinitatem, natus est in tempore secundum humanitatem; natus in tempore secundum humanitatem, æternus est secundum divinitatem.

Similiter, cum dicitur: Qui satisfecit pro nobis, natus est in tempore; natus in tempore, satisfecit pro nobis; sensus est: Qui satisfecit pro nobis in quantum Deus & homo, natus est in tempore, in quantum homo; natus in tempore, in quantum homo, satisfecit pro nobis, in quantum Deus & homo.

Igitur in communicatione idiomatum, non est vera, sed apparens tantum contradictio; neque necesse est in propositione, addere subiecto & prædicato hæc verba, in quantum Deus, in quantum homo, in quantum Deus & homo: nam qui æternus est in quantum Deus, æternus est simpliciter, & de eo simpliciter dici potest, quod sit æternus. Similiter, qui natus est in tempore, in quantum homo, simpliciter natus est in tempore, & de eo dici potest simpliciter, quod sit natus in tempore. Similiter qui æternus est, in quantum Deus, & simul natus est in tempore in quantum homo, simul est æternus, & natus in tempore simpliciter, & de eo verè dicitur simpliciter, quod sit æternus simul, & natus in tempore.

Bona est ergo hæc prædicatio: Æternus natus est in tempore; & ista: Natus in tempore æternus est (idem dic de aliis similibus prædicationibus.) Quod si tamen id, quod prædicamus de Christo, convenit ei ratione humanitatis v. g. & periculum est, ne videamur illud ei attribuere ratione divinitatis; in prædicatione addendum est: Secundum humanitatem, vel, In quantum homo. Sic dici non debet simpliciter: Christus est mutabilis; sed, Christus secundum humanam;

humanitatem, vel, in quantum homo, est mutabilis, ne videamur assentiri Arianis, qui volebant, Christum etiam secundum divinitatem mutabilem esse. *Obj. 2.* Hæc prædicatio, Deus est homo, non est propria, sed impropria tantum. Ergo si datur aliqua idiomatum communicatio, nonnisi impropria datur. *Resp. neg. ant.* Ratio negandi est, quia vera natura humana est verè ac propriè natura suppositi divini. Quilibet autem natura verè ac propriè prædicatur de supposito, cujus est verè ac propriè natura. Hinc beata Virgo est verè ac propriè Mater Dei, ut docent Patres, & definiunt Concilia, ut Constantinopolitanum secundum oecumenicum can. 6. quod dicitur: *Si quis abusivè, & non verè, Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam... & non propriè & verè Dei genitricem ipsam constituitur... talis anathema sit.*

Dices 1. Hæc prædicatio, Socrates est homo, magis propria est, quam ista, Deus est homo. Ergo, &c. *Resp. neg. ant.* Veritas enim & proprietas prædicationis non repetitur à majori identitate, vel connectione prædicati cum subiecto, sed ex eo quod subiectum & prædicatum habent idem rectum, quia hæc sola identitas in prædicatione enuntiatur per copulam. Est. Hinc prædicatio hæc, Socrates est albus, tam vera ac propria est, quam ista, Socrates est homo; quia in hac prædicatione, Socrates est albus, rectum subiecti tam est idem cum recto prædicati, quam in ista, Socrates est homo: quamvis hæc prædicatio, Socrates est albus, sit contingens; ista verò, Socrates est homo, essentialis sit.

Porro in illa prædicatione, Deus est homo, rectum subiecti & rectum prædicati tam sunt unum & idem, quam in hac, Socrates est homo; quare una prædicatio tam propria est, quam altera, quantumvis homo de Deo dicatur contingenter, de Socrate verò essentialiter, & Socrates dicatur homo intransitivè, id est, habens humanitatem per se primò, & essentialiter ipsum constituentem; Deus verò homo dicatur transitivè, hoc est, habens humanitatem assumptam, & sibi substantialiter unitam, arque adeò à se distinctam realiter.

Dices 2. Homo prædicatur in quid de eo omni, de quo prædicatur propriè. Sed homo non prædicatur in quid de Deo: querenti enim, quid sit Deus, responderi non potest, esse hominem. Ergo, &c. *R.* Hominem in quid strictè, hoc est, essentialiter, & quidditivè, vel saltem in quid latè, id est, substantivè, prædicari de eo omni, de quo propriè prædicatur. Homo autem prædicatur in quid latè de Deo, supponente pro Verbo: querenti enim, quid sit Verbum, tam verè ac propriè respondetur, quod sit homo, quam quod sit Deus: cum hoc tamen discrimine, quod respondendo esse Deum, respondeatur per quid essentialiter, at respondendo esse hominem, respondeatur per quid substantivè tantum.

Dices 3. Vera est hæc propositio, Deus est humanus. Ergo propria non est ista prædicatio, Deus est homo. *Resp. 1.* neg. conf. Nam verè dicitur: Hæc persona divina est, & tamen omnino propria est hæc prædicatio: Hæc persona est Deus. Item verè dicitur: Hoc suppositum est humanum, & tamen dicitur etiam propriè. Hoc suppositum est homo. *Resp. 2.* Propositionem hanc, Deus est humanatus, veram esse, si to humanatus sumatur participialiter pro incarnato, secus verò, si nominaliter sumatur, de quo infra.

At inquit. Quia propriè dicitur: Socrates est homo; dici non potest: Socrates est humanus, Socrates est humanatus. *Resp. 1.* Dici non posse: Socrates est humanus, quia talis prædicatio non est usu recepta; dici tamen potest: Socrates est animal humanum, Socrates est substantia humana. 2. Dici non potest: Socrates est humanatus, quia prædicatio hæc, sicut & ista, Socrates est vestitus, importat suppositorum multipliciter.

Quæres 1. Utrum homo prædicetur univocè de Christo & hominibus?

Simonnet Theol. Tom. II.

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia ad univocationem sufficit, quod prædicatum conveniat pluribus, secundum eandem omnino significationem ex parte significati formalis & expressi. At homo Christo, & aliis hominibus sic convenit, quando quidem natura humana ejusdem essentia & rationis est in Christo, & aliis hominibus.

Quæres 2. Utrum hæc propositio vera sit: Christus est creatura?

Resp. Veram esse, si sensus propositionis est, quod Christus sit suppositum habens naturam creatam. Attamen simpliciter dicendum non est: Christus est creatura, sed: Christus secundum humanitatem, seu in quantum homo, creatura est; ne videamur assentiri Arianis, qui dicebant Christum creaturam esse, etiam secundum divinitatem.

Quæres 3. Utrum admitti possit hæc propositio: Christus incæpit esse.

Resp. Seculo periculo Arianismi, admitti posse in duplici sensu. Primus est, quod suppositum Verbi cæperit esse suppositum humanitatis. Secundus est, quod suppositum Verbi sit suppositum naturæ, quæ incæpit esse. Ut autem omnis suspicio erroris vitetur, dicendum est: Christus incæpit esse secundum humanitatem.

Quæres 4. Utrum vera sit hæc propositio: Deus factus est hic homo?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia to hic, additum prædicato propositionis, non afficit rectum ejus, sed obliquum: unde propositionis sensus est: Deus assumpsit hanc humanitatem, quod verum est; cum Verbum non assumpsit humanitatem in communi, sed hanc in particulari humanitatem. Porro dixi, additum prædicato propositionis: nam to hic (idem dic de quolibet alio articulo) additum subiecto propositionis, afficeret rectum illius. Unde si diceretur: Hic Deus factus est homo, sensus esset: Hoc naturæ divinæ suppositum factum est homo, quod verè diceretur.

ARTICULUS II.

Præcipua Regula, ad rectam in presenti materia prædicationem pertinentes, traduntur.

R. Regula. Attributum merè negativum unius naturæ, simpliciter removens à supposito attributum aliud, quod ei convenit ratione alterius naturæ, prædicari non potest de ipso supposito, aut altera natura, etiam in concreto. Sic v. g. dici non potest: Christus est incorporeus, hic homo est incorporeus, si to incorporeus terminus est merè negativus, adeoque assumptus ad significandum attributum merè negativum: tunc enim sensus propositionum factarum est: Christus non est suppositum naturæ corporeæ, hic homo non est suppositum naturæ corporeæ; quod est falsum.

Dixi: Attributum merè negativum. Nam si attributum negativum est grammaticaliter tantum, adeoque attributum est positivum, termino negativo expressum, prædicari potest de ipso supposito, & alia natura, ejusque attributis in concreto. Sic verè dicitur: Christus est immortalis, hic homo est immortalis, mortalis est immortalis: tunc enim nihil à supposito removetur, quod ei naturæ alterius ratione conveniat: neque hujus propositionis v. g. Christus est immortalis, sensus est: Christus non est suppositum naturæ mortalis; sed: Christus est suppositum naturæ habentis perfectionem, vi cujus non potest mori; quod verum est.

II. Regula. Abstracta de abstractis, aut abstracta de concretis, aut concreta de abstractis, prædicari non possunt in sensu formali & proprio. Sic dici non potest: Divinitas est humanitas, immortalitas est mortalitas, nec vicissim. Item dici non potest: Divinitas est homo, humanitas est Deus, divinitas est mortalis, humanitas est immortalis, nec vicissim; imò nec dici potest, in sensu scil. formali & proprio:

Kk

prio;

prio : Deitas est Verbum, Verbum est deitas ; & multò minùs potest dici : Verbum est humanitas, humanitas est Verbum.

Ratio pro omnibus propositionibus est, quia 1. in illis non est idem rectum subiecti, & prædicati realiter, vel saltem formaliter : nam v. grat. in hac propositione : Humanitas est Verbum ; aliud est realiter rectum subiecti, nempe ipsa natura humana, & aliud rectum prædicati, nempe ipsum Verbum ; unde hæc propositio ne quidem in sensu identico vera est. Hujus verò propositionis, Deitas est Verbum, prædicatum & subiectum habent quidem rectum idem realiter ; unde propositio vera est in sensu identico : at non habent idem in sensu formali ; deitas enim in sensu formali non est Verbum, sed ab eo præscindit : unde propositio in sensu formali vera non est.

2. Ut jam observatum est, nomina abstracta significant formas, vel quasi formas secundum se : unde hujus propositionis v. gr. Divinitas est mortalis, sensus est : Divinitas secundum se, & ratione sui, est mortalis ; quod est falsum. Similiter propositionis istius : Deitas est Verbum, sensus est : Deitas secundum se, & ratione sui præcisè Verbum est ; quod est etiam falsum, & sic de cæteris. Hinc quando Patres dicunt, divinitatem passam esse, incarnatam esse, mortuam esse, loquuntur in sensu identico, & nil aliud volunt, quàm suppositum, quod cum divinitate realiter idem est, passum, incarnatum, & mortuum esse per suam humanitatem.

III. Regula. De Christo, aut natura divina, etiam per nomen concretum expressa, prædicari non possunt partes sive essentielles, sive integrales humanitatis. Hinc dici non potest : Verbum est pes, Christus est anima, Deus est corpus. Ratio est, quia nomina partium non sunt nomina suppositi, nec habent pro recto suppositum, sed ipsas partes : unde in propositionibus factis, non est idem rectum subiecti & prædicati : ad veritatem autem omnis propositionis affirmativæ, requiritur, ut subiectum, & prædicatum idem rectum habeant.

IV. Regula. Concreta, quæ soli naturæ in abstracto, & non supposito ratione illius conveniunt, ut assumi, & esse puram creaturam, prædicari non possunt de supposito, aut de natura divina, etiam per nomen concretum expressa. Sic dici non potest : Christus est pura creatura, Deus est pura creatura, Christus est assumptus, Deus est assumptus. Pater.

V. Regula. Nomina concreta naturæ humanæ, & attributorum ejus, prædicari possunt de supposito, & natura divina in concreto, per verbum fieri, aut factum est esse ; non vicissim. Sic verè dicitur : Verbum factum est homo, Christus factus est homo, Deus factus est homo, Deus factus est mortalis, infirmus, &c. Ratio est, quia in his prædicationibus, solum significatur, rectum subiecti fuisse saltem prius natura aliquid per se subsistens, quàm adveniret ei obliquum prædicari, quod ei per prædicationem attribuitur : hoc autem verum est de recto subiecti propositionum factarum : nam rectum illud est suppositum Verbi.

Dixi, Non vicissim : nam propriè loquendo, dici non potest : Homo factus est Verbum, homo factus est Deus, homo factus est Christus, mortalis factus est Deus, &c. Falsum enim est, rectum subiecti in his propositionibus fuisse prius aliquid per se subsistens, quàm haberet id omne, quod ei attribuitur per prædicatum : nam in his propositionibus rectum subiecti, cum sit ipsummet suppositum Verbi, non prius fuit, quàm esset Verbum, Deus subsistens in natura divina, licet prius fuerit, quàm in natura humana subsisteret. Unde quando Patres aliqui dicunt : Homo factus est Deus, loquuntur impropriè, & per hunc improprium loquendi modum, nihil aliud volunt, quàm humanitatem hypostaticè unitam esse Deo, ita ut vi hujus unionis, suppositum, quod antea tantum erat Deus, jam sit Deus & homo.

VI. Regula. Concretum unius naturæ prædicari

non potest de alterius naturæ concreto, cum particula reduplicativa sumpto. Sic dici non potest : Deus, quia Deus, est homo ; hic homo, quia homo, Deus est. Ratio est, quia reduplicatio cadit saltem ex parte supra formale significatum subiecti, atque ita saltem significatur per reduplicationem, formale significatum subiecti rationem esse partialem cur prædicatum subiecto conveniat ; quod in factis prædicationibus falsum est : falsum enim est, quod humanitas sit causa etiam partialis tantum, cur Christus sit Deus ; & vicissim falsum est, quod divinitas sit causa etiam partialis tantum, cur Christus sit homo.

VII. denique Regula. Vitandæ sunt prædicationes illæ omnes, quæ unioni hypostaticæ repugnant. Item vitari debent ea omnia attributa, quæ vel important negationem suppositi divini, vel involvunt hypostasim creatam, & distinctionem personarum in Christo. Itaque dici non potest : Christus est purus Deus, Christus est pura creatura, hic homo est pura creatura, Christus est homo dominicus, divinus, Deifer adjectivè, Deus est humanus, Deus est humanatus nominaliter. Ratio est, quia hæc omnes prædicationes unioni hypostaticæ repugnant : nam prima negat, Christum esse hominem ; secunda & tertia negant esse Deum ; reliquæ important suppositorum distinctionem, ac multipliciter.

ARTICULUS III.

Utrum detur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum.

Sententia Lutheranorum est, idiomatum communicationem in eo positam esse, quod proprietates naturæ divinæ, ut omnipotentia, omniscientia, immensitas, seu omnipræsentia, & aliæ similes, realiter communicatæ sint humanitati Christi, ita ut veræ sint hæc propositiones : Humanitas Christi est omnipotens, omniscia, ubique præsens ; Christus etiam ut homo, est omnipotens, omniscius, ubique præsens. Sed contra hunc absurdissimum errorem, sit

R E S P O N S I O.

Non datur communicatio idiomatum in sensu Lutheranorum.

Nam 1. humanitas Christi non magis est omnipotens, & omnisciens per omnipotentiam & omniscientiam divinam, quàm est æterna, & independens per æternitatem, & independentiam divinam. Atqui humanitas Christi non est æterna, & independens per æternitatem, & independentiam divinam. Ergo, &c. Minor patet : nam humanitas Christi incipit esse in tempore, & à Deo, sicut & cætera creata, essentialiter dependet. Prob. maj. Nam omnipotentia & omniscientia divina non magis humanitati Christi communicatæ sunt, quàm æternitas, & independentia divina : æternitas enim, & independentia divina, non minùs humanitati Christi per hypostaticam unionem conjunctæ sunt, quàm omnipotentia & omniscientia divina. Ergo, &c.

2. Omnino repugnat humanitatem Christi ubique esse formaliter per immensitatem divinam : ad hoc enim, ut humanitas Christi ubique esset formaliter per immensitatem divinam, requireretur, ut per immensitatem illam, ut formam in se receptam, vel extenta esset infinite, vel saltem esset replicata in locis pluribus, & pluribus in infinitum. At humanitatem Christi per immensitatem divinam, ut formam in se receptam, formaliter extendi infinite, aut formaliter replicari in locis pluribus & pluribus in infinitum, evidenter repugnat. Præterea, constat ex Scripturis, Christum secundum humanitatem suam modò fuisse in uno loco, modò in alio ; modò in Judæa, modò in Galilæa, &c. Ergo constat ex Scripturis, quod Christus secundum humanitatem non fuerit ubique.

Obj. 1.

Obj. 1. Cum haereticis, varia Scripturæ loca. Dicitur Coloss. c. 2. *In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et Matth. cap. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et ejusdem cap. 28. vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et ibidem vers. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et ad Ephes. cap. 4. *Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Resp. Ad primum locum, sensum esse, quod deitas habet in Christo non solum per gratiam, & mirabilem operum efficientiam, sed etiam per substantialem sui cum substantia corporea, seu carne humana, anima rationali animata, conjunctionem in Verbi persona, juxta illud Joannis cap. 1. *Verbum caro factum est.* Resp. ad 2. Christus in hoc loco dicit, se omnia à Patre per generationem æternam accepisse, atque ita se, qua Deus est, in nulla re Patri inferiorem esse. R. ad 3. Ibi Christus vel loquitur de se ipso secundum divinitatem, & tunc idem dicit, quod superiori loco; vel loquitur de se ipso secundum humanitatem, & tunc per potestatem omnem intelligit imperium, quod in omnes creaturas suam, & directionem, non per corporalem præsentiam. R. ad 5. Sensus Apostoli est, quod Christus secundum humanitatem suam, loca omnia, infima scilicet, media & suprema, non simul, sed successive impleverit sua præsentia, virtute, gloria, victoria, trium; in tertia conversando cum hominibus, post mortem ad inferos descendendo, & post resurrectionem suam ascendendo ad cælos, ubi secundum naturam assumptam quietus possidet summam illam regni dignitatem ac gloriam, quam supra creaturam omnem habet, proximus Deo: unde Apostolus de eo dicit: *Qui est ad dexteram Dei,* Rom. c. 8. & *Sedens ad dexteram maiestatis in excelsis,* Heb. c. 1.

Obj. 2. Quando duæ res sunt inseparabiliter unitæ, tunc ubicumque una est, ibi alteram quoque esse necesse est. Sed humanitas Christi & persona Verbi sunt duo unita inseparabiliter, & persona Verbi est ubique. Ergo, &c. Resp. neg. maj. Universaliter sumptam. Nam ut duæ res sint inseparabiliter unitæ, necesse non est, ut ubicumque est una, ibi quoque sit & altera; sed sufficit, quod alicubi simul sint, & semper simul sint alicubi. Sic v. g. quando vivit homo, caput & anima sunt duo inseparabiliter unita, & tamen caput non est, ubicumque est anima: anima enim non solum est in capite, sed etiam in pede v. gratia in quo non est caput. Quia tamen simul sunt, & semper sunt alicubi, quando vivit homo, tandiu dicuntur, & sunt unita inseparabiliter. Verbum autem semper est alicubi cum humanitate sua, licet cum ea non sit ubicumque. Ergo, &c.

At inquit. Si humanitas Christi non est, ubicumque est Verbum, Verbum alicubi non est homo. R. neg. seq. Aliud enim est Verbum non esse alicubi, seu non esse ubique cum humanitate sua, & aliud, Verbum alicubi non esse hominem: nam hæc omnino diversa sunt, Verbum alicubi esse sine humanitate sua, & Verbum, alicubi existens, non esse hominem; nec unum ex alio inferri potest. Verbum alicubi est sine humanitate sua, quia Verbum est immensum secundum divinitatem; humanitas verò, Verbi, utpotè entitas finita & limitata, certo aliquo loco necessariò circumscribitur: at non idcirco dici potest Verbum ibi non esse hominem, ubi non est cum humanitate; sed solum potest dici, Verbum cum humanitate, qua homo est, non esse, ubicumque est.

At inquit. Hic homo Christus est ubique. Ergo & humanitas est ubique. Item, si humanitas Christi non est ubique; Verbum moveretur localiter, quando moveretur humanitas. Falsum consequens. Ergo, &c. Resp. ad 1. dist. Hic homo Christus est ubique secundum divinitatem, Conc. ant. Secundum humanitatem, Neg. ant. & consequentiam. Resp. ad 2. Verbum, quando movebatur humanitas, motum fuisse

Simonet Theol. Tom. II.

localiter, non secundum divinitatem, quæ est ubique, sed secundum humanitatem, quæ cum non sit ubique, successive transire potest de uno loco ad alium.



DISPUTATIO VI.

De necessitate & fine Incarnationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum necesse fuerit Deum incarnari.

Hic circa Incarnationem multa quaeruntur. 1. Quidem utrum necessaria fuerit necessitate physica, aut saltem morali extra omnem hypothesim. 2. Utrum saltem, supposito quod nulla necessitate necessaria fuerit extra omnem hypothesim, necessaria fuerit ex hypothesi creationis mundi, aut ex hypothesi peccati primi parentis, & naturæ lapsæ. 3. Denique, utrum saltem necessaria fuerit ex hypothesi condignæ satisfactionis, per hominem exhibendæ pro peccatis.

§. I.

Incarnatio non fuit absolute necessaria necessitate physica.

Prob. 1. Ex Apostolo Ephes. cap. 1. ubi de Deo dicit: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Sed qui operatur secundum consilium voluntatis suæ, operatur absque omni antecedenti determinatione ad unum. Ergo Deus incarnationem operatus est absque antecedenti ad unum determinatione, adeoque incarnatio, saltem extra omnem hypothesim, necessaria non fuit necessitate physica. 2. Ratione: quia libertas ad extra est perfectio maxima, & quidem simpliciter simplex, qua proinde Deus carere non potest. Ergo repugnat Deum antecederet determinatum physicè ad aliquod opus ad extra. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia Deus est supremus rerum omnium Dominus. Ergo potest pro arbitrio de rebus omnibus disponere, eas scilicet producendo, vel non producendo, sicut & productas conservando, vel destruendo. Ergo, &c. Præterea, Deus est ab intrinseco perfectissimè beatus, sibi quæ sufficiens sumus. Ergo cum nulla re, quæ sit extra ipsum, indigeat, aut indigere possit, non est unde antecederet determinatus sit physicè ad producendum aliquod opus ad extra, quantamcumque excellentiam opus illud habere supponatur.

Obj. Deus habet infinitam inclinationem ad incarnationem. Ergo liber non est ad negationem illius: nam quod major est inclinatio ad aliquid, eò minor est libertas ad oppositum, adeoque ubi infinita est inclinatio ad aliquid, ibi nulla esse potest ad ejus oppositum libertas. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Nam inclinatio illa, quam Deus dicitur habere ad incarnationem, est simplex complacentia. At Deus finitè tantum sibi complacet in possibilitate incarnationis: nam actus ille necessariò commensuratur bonitati incarnationis, quæ infinita non est, sed simpliciter finita, quamvis in superiori ordine, ad quem nulla alia res creata pertingere potest.

At inquit. Actus ille, quo Deus sibi in bonitate incarnationis possibili complacuit, est infinitus. R. actum illum esse reverà infinitum, 1. entitative, cum sit ipse Deus tali modo se habens ad objectum aliquod. 2. Etiam in ratione complacentiæ, si realiter sumitur, & ut est à parte rei; quia sic sumptus, attingit possibilia omnia propter eorum bonitatem: Deus enim in omnibus possibilibus propter eorum bonitatem

KK 2 tatem